

hac vita, quod habilitate crescente prorumpit homo in actum ferventiorum. Ergo si tunc datur augmentum in hac vita datur.

XV. Cæterum his non obstantibus hæc solutio mihi videtur valde probabilis, et tunc etiam probabilior propter doctrinam D. Thomæ quæst. xciii, art. iii, in additionibus, ubi plane favet huic solutioni. Inquirens enim sanctus doctor, quomodo in cælo distinguantur mansiones penes diversos gradus charitatis, inquit: « Quod principium distinctivum immansionum, sive graduum beatitudinis est duplex, propinquum scilicet et remotum. Propinquum est diversa dispositio, quæ erit in beatis, ex qua contingit diversitas perfectio apud eos in operatione beatitudinis. Sed principium remotum est meritum, quo talem beatitudinem consecuti sunt. Primo autem modo distinguuntur mansiones secundum charitatem patriæ, quæ quanto in aliquo erit perfectior, tanto reddet eum capaciorem divinæ charitatis secundum cujus augmentum augebitur perfectio divinæ visionis. Secundo vero modo distinguuntur mansiones secundum charitatem viæ; actus enim noster non habet quod sit meritorius ex ipsa substantia actus, sed solum ex habitu virtutis, quo informatur: vis autem merendi in omnibus virtutibus est ex charitate, quæ habet ipsum finem pro objecto. » Ita D. Thomas, ubi valde ponderanda sunt illa verba quod per ipsam charitatem patriæ dicit reddi hominem capaciorem divinæ charitatis, secundum cujus augmentum augebitur perfectio divinæ visionis. Ergo sentit D. Thomas actum charitatis in patria disponere hominem ad ipsam visionem divinam, ita quod secundum ejus augmentum augetur perfectio divinæ visionis. Et hoc non facit meritorie, sicut charitas patriæ

per modum dispositionis non meritoria, atque adeo dispositionis physica: si ergo actus charitatis patriæ adhuc se habet ut principium proximum disponens subjectum ut sit capaciorem charitatis divinæ, et secundum illud augmentum mensurans perfectionem visionis divinæ, jam habemus actum disponentem physice ad augmentum actuum remissorum, quod in hac vita ex defectu dispositionis physicae proportionantis subjectum, non fuit de facto infusum.

XVI. Cui loco D. Thomæ conjungendo quod dicit hic quæstione xxiv, articulo vi ad primum, et 1-2, quæst. cxiv, articulo viii ad tertium, quod sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore ita augmentum quod meretur actus redditur suo tempore, cum scilicet aliquis fuerit sufficienter dispositus, et quando conatur ad hujusmodi augmentum. Item valide confirmatur prædicta solutio, quia solum est homo sufficienter dispositus, et quasi proxime quando in alia vita prorumpit in actum ferventiorum, et conatur ad illud augmentum, in aliis actibus hujus vitæ ferventioribus solum conatur ad augmentum correspondens ipsi actui ferventiori, et solum ad illud disponitur sufficienter, non vero ad augmentum quod correspondebat actibus remissis, quia hoc augmentum semper est distinctum ab illo, quod correspondet actui ferventiori.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVII. Ex quo etiam solvuntur ea quæ contra solutionem objecta sunt. Ad id quod primo inquiritur unde constet dari in alia vita actum æquantem omnia merita remissa, respondeo id constare per discursum

sum ex probabilissimis principiis, quia dum actus illi mereantur augmentum, consequenter merentur ea quæ tali augmento reddendo necessaria sunt, quia qui dat formam dat consequentia ad formam. Et cum ad augmentum physice dandum opus sit dispositione physica, si connaturali modo fiat, et ad ipsam visionem dandam in tali vel tali intensione concurrat charitas patriæ tamquam proximum principium distinctivum graduum beatitudinis ut dixit D. Thomas, oportet quod qui meretur augmentum gratiæ, etiam mereatur augmentum actus charitatis in patria, juxta quem gradus ipse beatitudinis distinguendus est, atque adeo tam intensus debet esse actus in patria, quantum omnes actus remissi meruerunt in via de augmento gratiæ, et beatitudinis, sive secundum totam latitudinem actus meruerint, sive non; sed illud augmentum quod meruerunt, quidquid sit, proportionatum sibi actum charitatis habebit in patria.

XVIII. Ad secundum respondetur, quod ille actus charitatis cum sit charitas patriæ (ut dicit D. Thomas, non mensuratur a fide, sed a lumine gloriæ, et præcedit ipsum lumen gloriæ in genere causæ materialis, secundum quod dicit D. Thomas quod reddit hominem capaciorem divinæ charitatis, et secundum ejus augmentum augetur perfectio divinæ visionis. In genere autem causæ effectivæ procedit a lumine gloriæ sicut quælibet dispositio ultima, et præcedit formam in genere causæ dispositivæ, et procedit a forma in genere effectus, et propriæ passionis. Et est exemplum omnino simile in anima Christi Domini, quæ in primo instanti fuit sanctificata habitualiter per proprios actus, sicut adulti, et simul habuit visionem beatificam, ut docet D. Thomas iii p. quæst. xxxiv, art. iii ad quartum. Unde ille

actus qui fuit dispositio ad sanctificationem erat actus charitatis regulatus non fide, sed a lumine gloriæ, præsertim in probabilissima sententia quod actus charitatis in Christo etiam ut meritorii regulabantur a visione beata.

XIX. Eodem modo intelligitur, quod actus charitatis patriæ, et procedit a visione beatifica ut regulante, et in genere causæ effectivæ, et disponit ad ipsum augmentum gratiæ, et luminis gloriæ secundum diversas considerationes, et prioritates naturæ, non quod primo detur visio in gradu imperfectiori, et postea augeatur mediante actu charitatis augente gratiam, sed illa visio datur in tota sua intensione, quam semper habitura est, sed datur ista visio sic intensa cum dependentia ab actu charitatis, ut dispositione ipsius in eodem instanti existenti, et subsequuta ad ipsam, ut effectus ejus, præcedente autem ipsa ut causa dispositiva, quia causæ ad invicem sunt causæ et effectus. Et licet actus charitatis in patria habeat rationem præmii, ut est fructio subsequens visionem, tamen etiam habet rationem dispositionis reddentis hominem capaciorem, et distinguentis ipsos gradus beatitudinis, non per modum meriti, sed per modum physicae proportionis ad augmentum gratiæ, quod debebatur actibus remissis, et consequenter ad augmentum gloriæ.

XX. Ad tertium dicitur, quod D. Thomas loquitur in isto articulo sexto de duplici officio actus charitatis, alterum in ratione disponendi, et causandi majus augmentum, et in hoc corpore articuli: alterum in ratione merendi, hoc in solutione ad primum. Quantum ad primum officium dicit quod non quilibet actus auget charitatem, sed disponit ut iterum et promptius agat, atque habilitate crescente prorumpat in

actum ferventiorum. Itaque loquitur ibi de dispositione habitante subiectum ad intensius agendum, et consequenter ad dandum illud augmentum, tunc datur quando homo prorumpit in illum actum. Cæterum quando loquitur de actu remisso ut meritorius est, non designat determinatum tempus quando detur illud augmentum, sed dicit quod dabitur quando sufficienter fuerit dispositus, et quando conetur ad huiusmodi augmentum sicut vita æterna datur suo tempore. Et cum ostensum sit non posse unquam in hac vita sufficienter disponi, et conari ad tale augmentum actus remissi ut est distinctum ab augmento actus intenzi, redditur necessarium quod disponatur in alia vita sufficienter.

SENTENTIA MAGISTRI BAGNEZ.

XXI. Secunda solutio pro sententia magistri Bagnez sumitur ex proxime dictis; dicendo, quod actus remissus non meretur aliquod augmentum determinatum supra charitatem præexistentem in subiecto, sed meretur augmentum eo modo quo disponit ad augmentum, scilicet ut determinandum per actum ferventiorum. Itaque in actu remisso, verbi gratia in actu ut duo, consideramus duplicem respectum: unus est ad formam correspondentem suæ latitudini, et sic actus ut duo meretur formam habitalem ut duo: alius est ad augmentum supra habitum præexistentem in subiecto. Si consideretur primus respectus, actus remissus, verbi gratia, ut duo, solum meretur habitum ut duo, et si non inveniatur illum in subiecto statim de facto dabitur; si autem inveniatur subiectum talem habens habitum ut duo, non poterit illum dare. Sicut actus intensionis licet sic productivus essentiæ quali-

tatis quantum est ex se, tamen si invenit illam productam in subiecto, non producit, sed perficit.

XXII. Contingit autem hic fallacia, quod cum gradus intensionis per numeros distinguamus, quando dicimus mereri gratiam ut duo, intelligimus quod talia duo superad-dita formæ præexistenti augeant illam, cum tamen longe aliter res se habeat. Nam gradus ut duo semper sunt imperfecti ut duo, et additio illorum ad formam præexistentem, verbi gratia ut decem velut viginti est solum additio gradus imperfectionis, non vero gradus viginti duo vel gradus ut duodecim. Quomodo enim recta ratio potest concipere, quod actus ut duo in subiecto habente gratiam ut unum, vel ut dimidium solum mereatur gratiam ut duo, quæ est gratia valde imperfecta; in subiecto autem habente centum gradus ille actus ut duo non solum mereatur gratiam ut duo, sed ut duo super centum quod est mereri centum duo. Hoc enim intelligi non potest nisi asserendo quod intensio fit per gradus omnino similes, sicut si pars aquæ addatur aquæ, vel lapis lapidi in acervo, quod est concipere augmentum intensivum ad modum extensivi. Quare quicumque actus remissus, in quocumque subiecto idem prorsus meretur determinate, et directe loquendo, scilicet actus ut duo, gratiam ut duo, non autem duo super formam existentem in subiecto, quia hoc jam non est duo, sed viginti duo, vel centum duo, vel mitte duo, prout fuerit subiectum.

XXIII. Secundus autem respectus, quod actus remissus respicit augmentum eo modo meretur illud, quo disponit ad illud. Sed sicut quilibet actus non disponit ad augmentum determinate, quia non proxime et immediate, sed remote quousque habilitate crescente prorumpat in

actum ferventiorum, quo determinatur quantitas augmenti, ita et meritum actus remissi est ad augmentum indeterminate et remote, proxime autem et determinate per actum ferventiorum. Et sicut pater Suarez disp. II, sect. III, num. XLIII, et Granados disp. VII supra citati dicunt actum remissum mereri secundum totam latitudinem ipsius actus, non ita quod cuilibet parti illius latitudinis respondeat determinatum augmentum, sed quælibet pars concurrat ad merendum augmentum, quasi indeterminate, totus autem actus determinatus augmentum meretur: ita dicimus quod plures actus remissi disponentes ad ferventiorum, et ipse ferventior actus ex ipsis erumpens, unum tantum augmentum determinatum meretur, quod attingitur ab actibus remissis ut remote disponentibus, et non determinantibus augmentum; ab actu autem ferventiori ut ultimo disponente, et determinante illud. Sicut plures guttæ cavantes lapidem non quælibet tollit aliquam partem, sed omnes disponunt ut ultima in virtute illarum tollat partem.

XXIV. Quo exemplo utitur D. Thomas in præsentis articulo sexto ad secundum. Et sicut omnes guttæ vere dicuntur lapidem cavare, sed non eodem modo omnes; ita et omnes actus remissi simul cum ferventiori dicuntur vere mereri augmentum, non tamen omnes eodem modo, et eum eadem determinatione. Quod si detur solus actus ferventior sine hoc quod præcedat aliquis actus remissus, talis actus merebitur idem augmentum, et disponet ad illud per se solum, sicut forma introducta sine dispositionibus, aut sicut dispositio ultima sine præcedentibus, quæ si datur se sola facit idem quod ipsa cum præcedentibus; nec tamen ideo præce-

dent superfluunt quando dantur, quia deserviunt modo naturali procedendi de imperfecto ad perfectum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXV. Ad primum argumentum contra sententiam magistri Bagnez respondetur, quod qui elicit plures actus remissos, si nunquam eliciat actum ferventiorum, nunquam recipiet augmentum essenziale ipsius gratiæ, quia actibus remissis non debetur illud augmentum, nisi eo quo merentur illud: merentur autem secundum dependentiam, et conjunctionem ad actum ferventiorum, et ideo sublato tali actu, non dabitur illud augmentum. Neque est novum, quod meritum de condigno mereatur aliquod præmium, cuius executio sit dependens ab aliqua conditione impedibili, quæ si non ponatur, non dabitur tale præmium. Nec tamen hoc est contra jus meriti, quia fuit jus dependens ab illa conditione.

XXVI. Habemus exemplum satis illustre in doctrina D. Thomæ. Si aliquis mereatur per plures actus gratiam, et gloriam ut centum, verbi gratia si per aliquem casum habitus gratiæ diminuatur ad quinquaginta, vel ad viginti, omnia illa merita non consequentur gloriam ut centum, sed secundum intensionem habitus illius gratiæ, cui correspondet immediate lumen gloriæ in patria; et tamen illa merita non privantur suo jure, quia solum hoc modo induxerunt jus ut daretur illis præmium gloriæ juxta quantitatem habitus gratiæ. Posse autem diminui habitum gratiæ admittit D. Thomas, quando aliquis peccat mortaliter, et postea per penitentiam reviviscit et omnia sua merita vivificantur, et tamen si per parvam contritionem resurgat, non acquirat